

Datum Vilnae, feria tertia proxima post dominicam Palmarum anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo [15 IV 1522], regni nostri^{av} sexto decimo. ^{aw}-Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium^{aw}.

Exactores^{ax} ad annum praesentem millesimum quingentesimum vigesimum secundum constituti: In terris Cracoviae dominus Ioannes Pieniansek iudex Cracoviensis. In terra Sandomiriensi dominus Stanislaus Casanowski iudex Sandomiriensis. In terra Lublinensi dominus Bernardus Maczejowski iudex Lublinensis. In terris Russiae dominus Stanislaus Jaskmaniczki iudex Praemisliensis. In terra Chelmensi et Belsensi dominus Felix Zamoszki. In terris Podoliae dominus Ambrosius Ormianczyk iudex Camenecensis. In terra Posnaniensi dominus Georgius Lwowski. In terra Calissiensi dominus Nicolaus Pothuliczki castellanus Rogosnensis. In terra Siradiensi dominus Nicolaus Potoczki. In terra Lancieniensi dominus Nicolaus Stradzewski. In terris Cuiaviae et Dobrinensi dominus Bartholomaeus Lubstowski. In terra Plocensi dominus Iacobus Sdzarski subiudex Plocensis. In terra Rawensi dominus Ioannes Głogowski iudex Gostinensis. In palatinatibus Posnaniensi et Calissiensi dominus Ioannes Lesczinski contributionem *czopowe* sibi arendatam exigere debet, utcunque nuntii Colenses contra eiusmodi arendas publicarum contributionum nullum et graviter sint questi.

IV. LITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONIS *CZOPOWE*^a

Sigismundus etc.^b universis et singulis principibus, tam spiritualibus, quam saecularibus, reverendissimis et reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis, episcopis, necnon magnificis, generosis, nobiles, famatis et providis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis, nobiles, officialibus et eorum vicesgerentibus, haeredibus, advocatis, scultetis, civitatumque et oppidorum, tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium consulibusque et communitatibus, et generaliter omnibus subditis^c nostris spiritualibus et saecularibus, cuiuscunque status, conditionis ac praeeminentiae existentibus, bona quaecunque, tam spiritualia quam saecularia, civitates, oppida, villas, tabernas, possessiones et alia bona, quocunque nomine nuncupata, habentibus, et signanter in terra N.^d existentibus, sincere et fidelibus nostris dilectis, salutem et gratiam nostram^e. Sincere et fideles nobis dilecti!

[1]. Noveritis communi omnium, tam spiritualium, quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium, in proxime praeteritis conventibus¹ congregatorum, voto et concordii voluntate constitutum atque laudatum esse, quod exactio ducillorum adhuc debeat continuari² et exigi ad festum sanctae Luciae proximum [13 XII 1522], ita exigentibus multis et arduis necessitatibus et difficultatibus reipublicae, modo videlicet infrascripto:

[2]. Ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa cerevisia cocta, hoc est sive brasea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, a quolibet vase sigillatim vel coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem antehac observatam exactionem ipsam ducillorum in manus infrascripti exactoris fideliter solvat, ita ut a maiori coctura alias *waru* plures grossi solvantur, et a minori pauciores^f iuxta vasorum numerum et quantitatem^f et exactoris

^{av} nostri anno G. Chęc.

^{aw-aw} Ad mandatum etc. G. Chęc.

^{ax} *Spis ten znajduje się tylko w MK₂, po zakończeniu tekstu uniwersału.*

^a *Zaznaczono odmianki tekstu z MK₂, t. 35, s. 662-663 oraz odmianki tekstu z G. Chęc., por. wyżej uwagistępne przypis 9.*

^b *W G. Chęc.: Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litwaniae, Russiae Prussiaeque etc., dominus et haeres.*

^c *W G. Chęc.: fidelibus.*

^d *G. Chęc.: Sandomiriensi.*

^e *G. Chęc.: nostram regiam.*

^{f,f} *G. Chęc.: iuxta vasorum et quantitatem numerum.*

¹ *Mowa tu właśnie o sejmie walnym piotrkowskim 4 listopada 1521 – 7 stycznia 1522 r.*

² *Wzmianka ta dotyczy kontynuacji poboru czopowego, który uchwała podatkowa bydgoska z 1520 r. (por. wyżej, nr IV, art. 190) zleciła wybierać do najbliższego sejmku, tj. tego właśnie sejmku piotrkowskiego.*

ordinationem, quam, ubi opus et quotiens expediens erit, nostra auctoritate faciet et constituet; notariosque et custodes tam in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis, iuxta arbitrium suum exactor etiam ipse deputabit et iuramento corporali ad fidelitatem illos astringet.

[3]. Ternarii vero, more vetusto circa quemlibet grossum solvendi, pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur.

[4]. Tabernatores vero singuli, cerevisiam coquentes, vel coctam a dominis tam spiritualibus, quam saecularibus ad propinandum recipientes, a quolibet vase mensurae civilis teneantur per unum grossum in manus exactorum solvere.

[5]. Item a medio vase vini, alias *pólkufek*, florenus sum triginta quadrantibus solvendus est^g.

[6]. Item a *dreling*, sive Seremiensi vase vini, duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi.

[7]. Item a quolibet barili malvatici vel vini Italici unus *ort* cum septem ternariis solvatur.

[8]. A barili vero simplicis vini^h duo grossi solvantur et duo ternarii.

[9]. A medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis.

[10]. A cerevisia ⁱadvectitia sive externaⁱ, a quolibet ^jvase eius^j duo grossi.

[11]. Et quicumque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, medonem, malvaticum vel^k alium quemcunque potum ex praedictis ^lvendere et propinare^l in fraudem reipublicae praesumpserit, totum illud, in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet, et ad poenam regalem solvendam, quotiens id commiserit, obligatur; capitaneusque loci in tales omnes et singulos, fraudem huiusmodi committentes, animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habendo respectum ad quempiam, irremissibiliter exequatur.

[12]. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque et fideliter exigendam in exactorem constituimus generosum N.^m, vobis omnibus et singulis, quorum interest, mandantes, quatinus praefato exactori, sive ab eo substitutis, de ipsa exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei eos, qui rebelles vel negligentes in solvendoⁿ erunt, et quos ipse exactor deferet, per pignorationes solitas ad solutionem^o huiusmodi exactionis compellatis sub poenis nostris, contra negligentes^p capitaneos in novis et antiquis statutis descriptis³. Et pro gratia nostra aliter non facturi.

Datum Wilnae, ^qferia tertia proxima post dominicam Palmarum^q, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo [15 IV 1522], regni nostri sexto decimo. ^rAd mandatum Regiae Maiestatis proprium^r.

V. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae primarum restium.

Sigismundus etc., rex Poloniae, universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilitatum communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris, terras regni nostri ubilibet incolentibus et praesertim terram N. et districtum N., de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam regiam. Magnifici et generosi, nobiles, famati et providi, sincere nobis et fideles dilecti!

^g *Brak w G. Chęc.*

^h *Brak w MK.*

ⁱ⁻ⁱ *G. Chęc.*: advectitia extranea.

^{j-j} *G. Chęc.*: eius vase.

^k *G. Chęc.*: et.

^{l-l} *G. Chęc.*: venderet et propinaret.

^m *G. Chęc.*: Stanislaum de Kazanow succamerarium Lublinensem et iudicem Sandomiriensem.

ⁿ *G. Chęc.*: solvendis.

^o *G. Chęc.*: solvendum.

^p *G. Chęc.*: negligentes.

^{q-q} *G. Chęc.*: feria quarta infra octavas Pascae, to jest 24 kwietnia 1522 r. Por. wyżej uwagi wstępne, przypis 10.

^{r-r} *G. Chęc.*: Ad mandatum etc.

³ Wspomniano tu konstytucję sejmu koronacyjnego z 1507 r., I, art. 12, oraz konstytucję sejmu piotrkowskiego z 1512 r.: Constitutio de officiis capitaneis incumbentibus diligenter exequendis.